

Elementa inter se mutuo transmutari, non modo rationi, sed & sensui & experientiae maxime est conforme.

§. I. Ratio assertionis generalis ab ipsa natura elementorum desumitur. Habent enim elementa simplices naturas (quatenus scilicet simplex mixto opponitur, non autem quatenus composito) easque contrarias, eo quod differentiae & formae illorum sint contrariae *l. 2. d. gener. & corr. c. 3. 4. 8.* quibus mediantibus in se invicem agere, & a se vicissim pati possunt; Ita ut unum alterius naturam, rationem & essentiam immutare, & contrariam naturam, essentiam & rationem in eandem materiam, utpote utriusque susceptivam introducere possit: nec hoc tantum, sed etiam propter praesentiam & absentiam solis & aliarum causarum agentium, multae in illis mutationes contingunt: hinc fit, ut elementa propriam suam formam & naturam amittere, & in contrariam, manente eadem materia, transire possint: Simpliciora autem, in quae resolvi possint, non habent elementa E. necessum erit, ut unum essentialiter mutatum, in alterius naturam transmutetur; si non misceatur cum aliis: nam etiam alias ex omni contrario vel intermedio generatio vel corruptio fieri potest in contrarium & intermedium, eodem manente subjecto *v. l. 1. Phys: c. 5. 6. l. 2. d. gen. & corr. c. 4.* Ita v. g. ignis essentielles suas qualitates, summam levitatem, summum calorem, siccitatem splendorem, adeoque naturam & formam suam amittere, & in minus levem, minus calidam, minus siccam & splendore carentem naturam, adeoque in aerem mutari potest: aqua gravitatem & frigiditatem potest amittere, & in leve quid, & calidum, vaporem scilicet: & tandem vapore paululum extenuato, in aerem transire potest: aer v. calidus, si calorem perfecte amittat, adeoque condensetur, crassior & gravior fiat, in vaporem, & tandem in aquam, si vero magis incalascet, extenuetur rarior & levior fiat & humiditatem omnem amittat, in ignem & flammam mutari potest: Terra item, si frigiditatem & gravitatem amittat, in levem, calidum & siccum halitum s. fimum, & tandem etiam in ignem mutabitur.

Dices